

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Christoph Rosteuscher Roetger Grot

De Visione Dei

Rostochi[i]: Keilenbergius, 1683

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73061302X>

Druck Freier  Zugang



R u. phil 1683





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn73061302X/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73061302X/phys_0002)



20
54

A. D.
DE
VISI ONE DEI
DISSERTATIONEM PHILOSOPHICAM,
Consensu Ampliss. Facult. Philosoph.
In illustri ad Varnum Academiâ
P R E S I D E
DNO. M. JOH. CHRIST. ROSTEUSCHERO;
Gedanensi
EAUTORE meo, & Studiorum PROMOTORE
plurimam colendo,
publicæ disquisitioni
listo
ROTGERUS GROTT / Libav. Curi,
AUTOR ET RESPONDENS.
AD D. Mart. A. O. R. CL IO LXXXIII.
H. L. Q. C.

Rostochi Typ. Vid. B. Keilenbergii. Univers. Typogr.

13061302X

Εν Θεῷ παλάμα

§. I.

E Visione Dei nonnulla more

Philosophico proposituris lubet in antecellum de ratione cognoscendi Deum ex Scholasticorum mente pauca præmittere. Eam duplē imprimis faciunt pro diversa conditio-
ne & statu subjecti cognoscentis; abstractivam
aliā, aliā intuitivam, illam viatori, hanc
comprehensori propriam. Abstractivam vo-
cant, qvā Deus non immediate & in se per speciem propriā, sed in
alio atq; per alterius rei specie cognoscitur. Habent quidē Scholastici
& alium abstractivā cognitionis modum, qvando per speciem qui-
dem propriam objectum, sed non ut existens & potentia cogno-
scenti præsens intelligitur, annotante Mendoza disq. 10. de Animā
sect. 2. §. 4. Francisco de Oviedo in Cursu Philos. contr. 6. de. Animā
puncto 4. §. 1. seqq. & R. Dno. D. Musao part. 1. Disput. Theol. disput.
4. §. 18. pag. 90. Illum autem modum præcisē non attendunt, qvan-
do de abstractivā Dei cognitione agunt, eandemque homini
in statu viæ convenire docent. Negant enim tum cognitio-
nem omnem, qvæ sit per propriam speciem, id est talem, qvæ
per se & immediate essentiam divinam repræsentet, atque eā
ratione sit producta, qvā produci alias species sensiles rerum
sensui obviarum solent. Qvod eorundem assertum ratione quo-
que evidenti confirmatur. Nam ut intellectus agens possit pro-
ducere speciem intelligibilem, necessariò requiritur phantasmatis
alicujus præsentialia. Et licet in modo, quo phantasma à phan-
tasiā sive facultate, ut a ii loqvuntur, estimativā productum cum
intellectu agente ad elaborationem intelligibilis speciei concur-
rat, designando, non convenienter inter se Doctores Scholastici,

A 3

alii

aliis ipsum phantasma agentis intellectus facultatem & rationem
operandi indeterminatam alias ex se atque indifferentem ad hu-
jus potius, quam illius objecti speciem eliciendam determinare
docentibus; aliis adstruentibus, ipsum phantasma ab intellectu
agente illustratum, depuratum, & velut à superiori potentia
elevatum, species producere, productaque intellectui possibili
imprimere: utri tamen sententiae calculus addatur, semper
telinguitur, non nisi illarum rerum, quae perphantasmata
objectivè sibi possunt, species proprias interveniente intellectus
agentis ope posse elaborari. Cum autem praeterea manifestum sit
atque evidens, nullum de Deo aliave re immateriali posse for-
mari phantasma, siquid & illud, speciem quandam propriam,
quae essentiam divinam immediate repræsentet, ut alias de
rebus sensuum virtuti expositis dari potest, in statu vix frustra
desiderari. Nec obstat, quod phantasia aliquando polleat virtute
exprimenti ex accidentibus sensatis per sensus externos species
aliorum non sensatorum, ex quo sequi videtur, eandem etiam
ex aliis rerum sibi impressis speciebus elicere posse speciem
aliquam expressam, sive phantasma rei immaterialis repræsen-
tativum, licet in sensus illa externos non incurat. Conces-
dimus enim phantasie vel estimativa facultati tum saltem vir-
tutem ex speciebus rerum sensatarum eliciendi species expres-
tas non sensatorum, quando res illæ per se cadunt sub sensu,
aptæque sunt, ut ab aliquo sensu possint percipi. Quanquam
enim ad eliciendas tales species necesse non sit, ut objecta, quae
mediantibus hisce speciebus repræsentantur, externus aliquis vel
communis sensus ante perceperit, illud tamen exigitur, ut ab
aliqvâ potentia sensitiva, videlicet superiori possint apprehendi,
Res vero immateriales, cum per essentia sua rationem non
possint cadere sub sensu, non possunt etiam ab ullo sensu ex sensa-
tis ab inferiori sensu eorum species elici, aut ope estimativa fa-
cultatis propria illorumphantasmata formari. Quod evidentia ar-
gumento est, nullam hicin abstractivam cognitione Dei dari species
propriam & quidditativam, sed per alienas rerum corporearum
species immaterialis substantiae, qualis divina est essentia, qualem
cunque conceptum obtineri.

S. 2. Multis autem modis hanc abstractivam cognitionem su-
perat

perat altera cognoscendi ratio, quæ intuitiva salutari conservat. Ut enim illa per species alienas divinam essentiam representat; ita hæc immediatè & per propriam speciem idem objectum attingit. Qvod fundamentum quoque præbet, hanc intuitivam Dei cognitionem visionem appellandi, petitio nomine à visione corporeâ, ad quam potentia visiva per propriam speciem existentis objecti moveatur, uti annotat *Mendoza Disput. 10. de Animâ scđt. 2. §. 4.* Describitur autem, ut in rem præsentem descendamus, *visio Dei* per actum intellectus Deum seu proprium objectum clare & distinctè in se ipso, nulla interveniente aliena specie cognoscens. Placuit visionem per actum definire, eis non ignoramus, in eo nondum convenire inter Scholasticos Doctores, quæ formalis ratio visionis aliarumque hujus generis immanentium actionum dici debeat. Sunt qui eam ad classem qualitatum referunt, statuuntque cum Scopo, præsupponere quidem veram aliquam atque realem actionem, non tamen formalem ejus rationem in eadem actione collocandam, sed in sola qualitate aut specie expressâ per illum actum productâ & intelligendi potentiam informantur. Sed præferenda videtur merito communis illa Doctorum sententia, qui visionem per actum vitalem describunt, eandemque per illum esse suum formale obtinere docent. Dicitur autem actus esse intellectus, ut omnis hic corporea visio, quæ alterius est ordinis, excludatur. Nam cum potentia visiva, illa videlicet, quæ per organa corporea in actum deducitur, per essentiam suam ordinata sit ad percipiendum corpus aliquod lucidum & coloratum, circa illud etiam ut proprium objectum actus visionis corporeæ naturaliter occupatur, cum fieri non possit, ut potentia in statu suo conaturali spectata excedat adæquatum suum objectum, aut circa illud actum aliquem exferat, qvod sub objecto suo adæquato non comprehenditur. Sicut igitur ad percipiendum solum saporem; aliudve objectum tensile extendi nequit organica videnti potentia; Ita multò minus fieri potest, ut circa spiritualem illam & omnis materiae expertem Dei essentiam oculus corporeus occupetur, cum majorem convenientiam sontis, aliudve sensile cum potentia videnti habere videatur, quam spiritualis essentia, quæ intra ambitum sensibilium objectorum natu-

taliter non continetur. Conf. Gabriel Vasquez in i. Th. Tom. i. Disput. 40. cap. 2. Ultrum vero videndi potentia, quæ ex se & suâ naturâ apta non est, ut cognoscere possit spiritualem essentiam per absolutam Dei potentiam elevari possit ad res quoque immateriales organo corporeo percipiendas, expeditu' difficile *γρημα* esse judicatur. Plerique Scholasticorum negativam tuentur, quibus licet potentiae naturales à Deo perfectiores reddi, & superadditâ virtute roboratae, ad eliciendos altioris ordinis effectus elevati posse dicantur, qualitates tamen supernaturales, quæ ad perfectiōnem & complementum potentiarum faciunt, in subjecto aliquam ad minimum innatam virtutem ad effectus illos producendo's præreqvire creduntur, qualis virtus congenita cum hic nulla detur, potentia visivâ ad objecta incida & colorata unicè ordinata, implicare existimant, si videndi potentia ad objecta quoque spiritualia terminari statuatur. Ita docent *Couimbricenses* in lib. 2. de *Animâ*. c. 6. qvæst. 3. artic. 2. *Becanus part. i. Theol. scbol. tract. 1. cap. 9. qvæst. 6. §. 4. Hurtadus de Mendoza Disp. physica 17. sect. 1. aliisque, quibus subscriptis Suarez Disp. Metaphys. 30. sect. II. num. 2.* Placet tamen cum B. Gerhardo in *Exeg. Tom. 1. loc. 2. sect. 2. §. 27.* itemque *Iag. Disp. 4. cap. 5. §. 4.* & B. Dorscheo in *Pentadecade Differ. Theol. pag. 20.* mediâ viâ ingredi, & in lite intricata, nec satis nobis perspectâ rō *ἐπιχειρ* amplecti. Qvod fecisse etiam ex Scholasticis *Gregorium de Valentia* liquet ex *Commen. ejus Theol. Tom. 1. Disp. 1. qvæst. 12. punto 8. sol. 2. 66.* quando implicare quidem contradictionem scribit, si posito, qvod visus & aliae potentiae sensitivæ non nisi in corporeas res earumque accidentia ferantur, eadem rem incorporem percipere possint: non tamen idem constaret, si potentia quædam sensitiva ita à Deo condatur, ut vel naturâ suâ, vel dono aliqua superaddito non solum objecta sensibilia corporalia, sed & objectum aliquod spirituale atque adeo Deum ipsum percipere valeat.

§. 3. Qvod autem intellectum concernit, qui citra controversiam divinæ visionis subjectum esse creditur, indiget is ad id, ut Deum clare videat, ex parte potentiae principio quodam cum ipso ad eliciendum visionis actum concurrente sive habitu

bitu, qvem vocant, spirituali potentia intelligendi à Deo supernaturali ratione infuso, qvo ad Deum videndum ultra conditionem naturalem elevetur. Qvam virtutem supernaturalem per modum habitus, sive auxilii, intellectui communicatam, Lumen Gloriarum appellant Scholastici, appellationis rationem reddente *Vasquierio in 1. Thom. Diff. 43. quæst. 12. c. 6.* eandemque ad disponendum intellectum creatum, ut cognoscat clarè essentiam divinam, necessariam judicant, cùm omnis potentia, qvæ ex se & sua natura est insufficiens & improportionata ad actum aliquem eliciendum, à principio extrinseco confortari & per virtutem aliquam in se receptam confirmari debet. Pollet quidem intellectus ipse nativæ virtute & efficacitate ad eliciendum quodammodo actum intellectionis circa Deum, qvì intra sphærarum intelligibiliū objectorum continetur, sed ut eadem vitalis intellectus operatio clara dicatur & intuitiva Dei cognitio, necesse est, ut ab aliquo extrinsecus adveniente lumine compleatur, & ad visionem DEI claram efficiendam idoneus reddatur. Id quod ad mentem *Svareti Discept. Metaph. 30. sect. II. n. 13.* ita declaratur. Modus intelligendi & concipiendi sequitur modum essendi, estque ita proportionatus illi, ut unum quodque agens intellectuale intelligat juxta modum sibi connaturalem. Modus itaque essendi in Deo cum sit superioris ordinis, qvam essendi illa ratio, qvæ naturæ intellectuali ab eo dependenti convenit, sequitur nullam creaturam intellectualem suis viribus connaturalibus proprium Dei, ut in se est, conceptum posse formare, aut visionis actum clarum & intuitivum elicere. Creatura quippe cum essentiam habeat cum potentia passiva complicatam, nec omnis omnino compositionis, etiam illa qvæ simplex esse dicitur, expers sit; Deus autem ex eo, quod est suum esse, per essentiam habeat, quod sit actus omnium purissimus & ab admistione passivæ potentiae prorsus liber, non potest non creatura naturaliter intelligens Deum concipere, vel ut aliquo modo compositum, vel per analogiam & proportionem ad essendi modum, quem in semet ipso deprehendit. Unde licet ea, qvæ inferioris sunt ordinis, non solum complete percipiatis, sed & aliquo modo ad superiorem ordinem elevet, ut perfectius cognoscat, ea tamen, qvæ sublimioris sunt ordinis, inter quæ primum sibi locum, vendicat divina essentia, sibi accom-

mō-

modat, & per Analogiam atque similitudinem ad propria & proportionata objecta concipit, quando connaturali modo intelligit. Nec obstat, quod obvertit *Becanus*, qui part. i. *Theol. Sch. Traet. 8. cap. 9. quest. 4.* intellectum nostrum docet influere in visionem Dei virtute naturali, qua naturalis est, visionem Dei beatificam esse actionem vitalem, atque adeo oriri a principio vitali, ut vitale est, quod secundum naturalem potentiam unicè vitale dicatur. Confundit enim *Becanus* hæc duo, quod intellectus concurrat ad visionem Dei, ut est cognitio, & ut est præcisè cognitio intuitiva. Illa est actus aliquis vitalis ipsi intellectui naturalis, & ab eodem etiam descendens: hæc est actus supernaturalis, potentia vitali intelligendi per principium supernaturale, quod lumen dicitur, per analogiam quandam cum lumine Solis illuminante medium, quod aer est, ut oculi possint speciem visibilem recipere, elevata, & insigniter corroborata. Nec quoad modum tantum supernaturalis est hic visionis actus, quo sensu id omne, quod per specialem Dei operationem supernaturaliter producitur, cum forte ordinis naturalis esse possit, supernaturale dici solet, sed & quā ipsam substantiam, cum etiam in se & ratione entitatis suæ consideratus non sit ordinis naturalis, sed conditionem omnem & vires humani intellectus longissimè transcendat. Non desunt quidem ex Scholasticis, qui utut lumen Gloriarum admittant, per absolutam tamen Dei potentiam fieri posse autem, ut & absque lumine & qualitate supernaturali addita visionem exercere intellectus creatus possit; in modo tantum discrepantes, cum nonnulli intellectum intrinsecè potentem reddi posse statuant ad videndum Deum tantum per specialem Dei assistentiam, & concursum simultaneum ordinis supernaturalis, alii per arctam unionem inter divinam essentiam & intelligendi potentiam intercedentem factamque in ratione luminis illam confortantis & elevantis, si-
gut uniri eidem dicitur in ratione speciei intelligibili, absque impressione tamen specialis virtutis aut qualitatis supernaturalis. Sed neuter modus nobis probatur, cum pluribus se difficultibus uterque involvat. Quod enim primum concernit, quem tuetur etiam *Valentia Disp. i. quest. 12. punto. 3.* ex illa speciali assistentiâ & unione Dei cum intellectu creato, vel de-
scendit in intellectum virtus quædam inseparata, vel nulla. Si
prior

Prīus afferatur, hæc ipsa virtus intrinsecè participata erit lumen
Gloriæ per modum auxiliū, vel habitus communicatum, qvod
ad intuitivam Dei visionem eliciendam à nobis exigitur. Si poste-
rius, seqvetur, qvod ex tali assistentiā & unione intellectus cre-
atus non possit fieri intrinsecè potens ad eliciendam visionem
beatificam. Fieri enim neqvit, ut qvod de se est impotens nec
proportionatum ad producendum effectum, vel eliciendam o-
perationem aliquam, reddatur aptum & proportionatum ad at-
tingendam eam absqve intrinsecā mutatione sui & receptione
alicujus formæ, aut intrinsecæ virtutis, qvæ destituebatur antea, cum
qvod causa potens dicatur ad operandum, non absolvatur denomi-
natione aliquà extrinsecā, sed maximè intrinsecā, à virtute & interno
principio deducta. Adde, qvod, si creatus intellectus actum Visi-
onis elicere debeat, vel in se virtutem proximam & immediatam
adeundem continere, vel si non contineat, obtinere illum per in-
fusum & communicatum à Deo lumen gloria debeat, cum alias,
qvando in solā Dei, licet speciali assistentiā subsistim, non intellectus
in qvo nulla virtus dabitur, sed Deo ad intellectus præsentiam effectū
illum producenti tota illa operatio adscribenda necessariò veniat.
Qvod etiam circa concursum Dei simultaneum notarij meretur.
Nam & is intellectui creato neqvit intrinsecam ad visionis actum eli-
ciendum potentiam largiri, cum fieri non possit, ut causa ali-
qua in actu primo ad operandum potens fiat per id, qvod cir-
ca actualē demum operationem, sive actum secundum se-
xerit, ipso actu primo secundum prioritatem ad minimum na-
turae antecedente. Quid, qvod concursus ille simultaneus,
cum non influat immediate in causam, sed in actionem & in
ejusdem terminum, qvem effectum appellamus, intrinsecam mutati-
one in causā excitare non possit, sine qvā tamen agens, qvod ex se
& suis viribus ad eliciendam operationem ordinis supernaturalis
non sufficit, intrinsecam virtutem, sive potentiam non asse-
quuntur. Dicis quidem, obtinere tamen illud in causis sociis,
qvarum qvælibet cùm de se insufficiens sit, ad producendum
effectum, soleat potens & sufficiens fieri per solum concursum
alterius, qvæ simul influit & cooperatur; absurdum itaque non
esse, si quis idem etiam in creato intellectu respectu visionis bea-

tificæ locum reperire posse dicat. Sed contra: diversa omnino
ratio est effectus à duabus vel pluribus causis locis proficilcentis,
& visionis beatificæ ab intellectu Deo nude concurrente oriun-
da. Ille fit per multiplicationem virtutis unitis ejusdemque spe-
ciei, quam quælibet causa possidet; hæc minimè, cum de se
intellectus ineptus sit ad supernaturalem operationem edendam,
ita quidem, ut, licet intendatur virtus illa naturalis, quæ est
in ipso, non possit tamen ille clare videre Deum, nisi per for-
mam supernaturalem intrinsecè receptam novâ quædam virtute
augeatur. Quæ in hunc modum non inconvenie declarat D.
Thomas lib. 3. contr. Gent. cap. 53. Non minoribus autem
difficultatibus urgetur quoq; altera Scholasticorum sententia, qui
ad modum luminis Deum ipsum uniri intellectui, atque ita vi-
sionis actum elici posse admittunt. Præterquam enim quod lu-
men Gloriarum sit forma quædam ex parte potentiae involvens in-
harentiam & informationem, qualis divina essentia in ordi-
ne ad creaturam intellectum convenire nequit, certum insuper
est, lumen Gloriarum esse principium ut quo vitale vitalitate, ut lo-
quuntur Scholastici, supernaturali, quod cum intrinsecum debeat
esse operanti, non potest sanè Deus immediate per se ipsum sup-
plere rationem ejusmodi principii vitalis, nec vices luminis Glo-
riæ sustinere.

S. 4. Ita considerato principio ad visionem claram & in-
tuitivam Dei ex parte potentiae requisito, supereft, ut dispi-
cimus, num ex parte etiam objecti istiusmodi principium, quod
ad visionem illam eliciendam activè concurrat, intellectui offe-
ratur. Solet enim ex communis sententiâ ad quamcumque in-
tellectionem duplex requiri complementum atque determina-
tio; una quidem ex parte potentiae, quæ fit per lumen intelle-
ctuale, altera ex parte objecti, quæ procedit à specie intel-
ligibili ejus vices sustinente, cum intellectio non possit fieri ni-
si per assimilationem & unionem potentiae cum objecto. Quæ res
declarari potest exemplo. Intellectio determinata alicujus ob-
jecti v. g. arboris vel equi bifariam potest considerari, & secun-
dum rationem suam communem atque genericam, in quantum
est intellectio, non visio, vel auditio, aliave operatio; & se-
cundum rationem specificam, in quantum est talis intellectio ob-
jecti

iecti scilicet ; circa quod agendo intellectus operatur. Quidam pri-
orem respectum oritur intellectio à lumine connaturali , cum
idem dicatur hæc actio intellectio , quod à facultate intelligendi ,
quæ in animo radicatur , oriatur. Quidam posteriorem respectum
descendit intellectio à specie objecti , e.g. vel arboris , tanquam
à principio extrinseco intellectum ex se indeterminatum & indiffe-
rentem ad hunc præcisè actum determinante , ut proinde intel-
lectio nec intellectio salutanda foret , si non procederet ab intelle-
ctu lumine , nec hujus præcisè objecti intellectio , si non à specie
objecti determinaretur. Inquirendum itaq; : ut ad sublimiora hæc trans-
feramus , & hic est istiusmodi principium extrinsecum . quod ex parte
objecti ad hunc actum visionis faciat , cum de eo , quod ex parte po-
tentia cognoscentis datur , abunde constet. Occurrunt autem de co-
variantes Scholasticorum sententiae . D. Thomas in I. P. Summ. theol.
art. 5. ¶ p. 3. quæst. 9. art. 3. ut Et. 13. contra gent. c. 51. ¶ cum eo inter-
pretes communiter docent essentiam divinam intellectui supernatu-
rali lumine instructo uniri per modum speciei & expressæ & impressæ
atque adeò Deum cum intellectu comprehensoris ad claram sui
visionem non solum concurrere per influxum generalem , qua-
tenus est prima & universalis causa , quæ cum omnibus causis se-
cundis in eandem numero actionem influit , sed etiam per influ-
xum particularem , una cum intellectu sui visionem producendo ,
sicut v. g. species arboris impressa intellectui cum eodem
cognitionem arboris efficit. Huic communis Thomistarum sen-
tentiae se opponit Vasquez Tom. in I. Thom. Disp. 43. c. 6. ¶ 7. docens
in visione clarâ & intuitivâ Dei nullum requiri concursum specia-
lem objecti in ratione speciei , sed essentiam divinam ad illam
solum concurrere per modum causæ universalis , atque eā tantum
ratione , quâ ad alias cognitiones & actiones creatas concurrit;
Lumen vero gloriæ putat constituere intellectum in actu primo suf-
ficienter ad visionis actum ex se eliciendum , seu determinare &
completere virtutem ejus intelligendi ex se indeterminatam , & ob-
jectum omne , quod aptum est , ut possit intelligi , prorsus æquali ratio-
ne respicientem. Sed nulla nos urget necessitas , ut à receptâ Tho-
mistarum sententiâ recedamus. Quam proinde sequentem in
modum probamus. Ad visionis actum omnem requiritur vel ve-
ras species , vel objectum per modum speciei representatum , quod

specialiter ad eliciendum actum circa illud concurrat; sed in visione
clarâ non datur species vera, dabitur ergo objectum gerens vices
specie, quod erit divina essentia, per modum speciei concurrens ad
cognitionem sui. Minor constat ex naturâ speciei creatæ, quæ apta
non est, ut possit esse similitudo divinam essentiam perfecte repræ-
sentans. conf. *Valentia Comm. Theol. Tom. I. disp. 10. qu. 12. punt. 2.*
fol. 230. Major probatur ex naturâ intellectionis omnis, quæ sit per
unionem objecti & potentiae cognoscentis. Est enim illud poten-
tiae cognoscenti proprium, ut ad se trahat objectum, & assimile-
tur illi, quæ assimilatio fieri non potest, nisi in se aliquomodo ob-
jectum contineat, illudque specialius permodum speciei impressæ,
quæ mediante fit assimilatio, intellectui unitatur. Adde, quod essen-
tiæ divinæ præreqvisita omnia, quæ ad id, ut substantia aliqua per
se ipsam possit species intelligibilis dici, desiderantur, exactè conveni-
ant. Solent illa à Scholasticis ad duo præcipue capita revocari. Quo-
rum primum est, ut substantia quædam per essentiam sit actu intelligi-
bilis. Deinde ut sit intellectui intimiori ratione unita. Utraq[ue]
vero conditio reperitur in divinâ essentiâ, quæ non tantum intime-
præsens est potentiae cognoscenti, sed &c, cum à materia sit separata,
apta est, ut per essentiam intelligatur. Nec adeò incongruè à Tho-
misticis eadem essentia quodammodo habere rationem speciei ex-
pressæ statuitur. Pertinet enim ad formale speciei expressæ inter-
alia, ut in actu secundo intellectui repræsentetur objectum cog-
nosibile, quod de divinâ discipote est essentia, quæ se ipsum ex pressè
& in actu secundo coram intellectu comprehensoris repræsentat.
Quanquam nec prætereundum illud sit, quod ad formalem rationem
speciei expressæ sive verbi, ut loquitur Scholastici, mentis in-
tegram præcipue requiratur expressio à Principio intelligentे facta.
Qualis conditio cùm tribui non possit intellectui creato compara-
to cum divinâ essentiâ, quæ nec expressa est ab intellectu, nec ter-
minus per ejusdem actum productus, siq[ue] sanè, illam, licet in a-
ctu secundo se manifestet intellectui, propriè non posse speciem
expressam aut verbum intellectus salutari. Objicit quidem *Vasquez*
in I. Thom. Disp. 43 c. 3. ita superfluum fore, usum luminis Gloriar[um], si
essentia divina secundum se vices sustineat speciei, cùm defectus Fa-
cultatis & virtutis, qui est in intellectu creato ad videndum Deum
sufficienter suppleri possit per essentiam divinam immediate per

mot

modum intelligibilis speciei unitam. Sed Resp. omnis species, quā mediantē objectum cognoscibile & potentia cognoscens unitur, non largitur virtutem aliquam, quā cognoscatur objectum, sed eandem jam in subjecto existentem presupponit. Qvod apparet exemplo ejus, in quo laesa vel debilis datur videendi facultas, quā, licet species visibles vicem sustinentes objecti perfectae & efficaces collocentur in oculo, nunquam per solam speciem confirmabitur. Eādem ratione & hic defectus illę virtutis, qui datur in intellectu creato ad videndam clare & intuitivę divinam essentiam, non poterit sufficienter suppleri per solam essentiam divinam eidem per modum intelligibilis speciei unitam. Imo hic defectus & inadæquata ratio virtutis ad eliciendum Visionis actum, simul implicat defectum & impotentiam ad recipiendam essentiam divinam per modum speciei, ita ut si intellectus potens fieri debeat, ad recipiendam excellentis objecti speciem ejusdem cum objecto naturae, necesse sit, ut robur ei aliquod accedat, & ab extrinseco principio, qvod lumen erit gloriarum, idoneus reddatur. Qyanquam interim nolimus facere cum iis, qui in hoc tertio intellectum comparant cum visu organico, qvod sicut hic non potest, nisi aliquo superaddito roboratus fuerit, recipere excellentis sensibilis speciem, eo qvod lædere sensum soleat, ita consimilis ratio se habeat cum intellectu. Alia enim est ratio intellectus, quāq; quā est sensus. Ut ut sensile excellens lædere aliquando sensum soleat, id quod tamen non oritur ex ratione speciei ipsius, cuius in movendo atque uniendo sensu cum objecto cognoscibili vis tota posita est, sed ex ratione adjunctae qualitatis alterativae naturae potentiae sensitivae contrariae vel alterius cujusdam, qvod cum objecto sensibili conjungitur, & dum species ejus in sensu recipitur, simul physicā actione in illum agit, eumque lædit: non potest tamen simile quid intellectui accidere, quicum ratione essentiae suae immaterialis sit, nec à materiali organo dependeat, in recipienda specie licet maxime excellenti nullā qualitate nocivā turbari aut offendī potest.

§. 5. Egitus hactenus de præreqvistis, quā tam ex parte potentiae, quā objecti ad eliciendum beatificae visionis actum necessaria esse judicantur. Quā eō quidem melius intelligentur, ubi objectorum, quā per actum illum visionis attinguntur, modique quādam consideratio fuerit instituta. Videri à comprehensoribus essentiam divinam est in confessio, & in Theologorum Scholis fusiū probatur. Vid. fund. à B. D Klozio allata in Theol. natur. Disp. 4. tbes. 22. pag. 144. Dar-
tur

ut qvidem improprio^r qvadam & distantia inter infinitam Dei es-
sentiam & intellectum humanum, qui finita prorsus & essentiae est & vir-
tutis. Sed nihil illa obstat, quo minus videri Deus positis requisitis, qvæ
recensuimus, clare & intuitivè possit. Nam ad id, ut objectum aliquod
possit à potentia cognosci, sufficit, si talis inter potentiam & objectum
cognitum proportio adsit, ut possit potentia in objectum tendere, seu
illud respicere certo qvodom modo, quo non potest alia potentia, cu-
jus illud non est objectum, qvæ verba sunt *Gregorii de Valentia loco cit.*
punct. I. pag. 226. Talis vero habitudo & proportio intercedit inter
divinam essentiam & intellectum creatum, cùm Deus ad illorum cen-
sum pertineat, circa qvæ intelligendo versari potest humanus intel-
lectus. Illud qvidem largimur facile, qvod nulla detur inter finitum
& infinitum mathematica proportio, consistens in commensuratione a-
liquâ, juxta qvam unum mensurat alterum secundum proportionem
v. g. dupli aut tripli, vel modo simili, cùm nulla talis proportio requi-
ratur inter objectum & potentiam; obtinet tamen proportio, qvam
dicunt, habitudinis inter Deum & creatum intellectum supernaturali-
ter adiutum, qvæ in mutuâ habitudine & ordine unius ad alterum ab-
solvitur. conf. *Thomas part. I. quest. 12. art. I. ad 4. Vasquez in I. Thom.*
Disp. 43. cap. 8. n. 42. Beccanus theol. Schol. part. I. Tract. I. cap. 9. quest.
I. S. B. Klotz. lib. cit. Disp. 4. thesi 23. pag. 147. Constat vero hoc ipso
non admitti in creato intellectu qvididatitivam & comprehensivam
Dei notitiam, qvam nec de potentia absolutâ finito intellectui possi-
bilem esse certò persuasi sumus. Solet alias à Scholasticis Doctoribus de
Comprehensione Dei varie disputari, nec convenient satis inter se in-
modis comprehendendi explicandis; aliis duos cum *Tbonâ part. I.*
Summ. quest. 12. art. 7. ad 1. aliis tres cum Bonaventurâ in lib. 3. sent.
dis. 24. quest. 2. nonnullis quatuor cum Gregorio de Valentia Tom. I.
*Disp. I. quest. 12. punct. 5. imò qvinq; modos cum Nominalibus præfer-
tim Occamo & Gabr. Biel in lib. 3. sentent D. 14. quest. I. art. 3. recen-*
sentibus. Nobis videtur Comprehensionis nomen ex comprehensione
corporeâ, à qvâ ad spiritualem mentis intellectionem translatâ vox
est, posse explicari. Sicut igitur in rebus corporeis comprehensio du-
*plici imprimis sensu intelligitur, vel prout idem est, qvod apprehe-
dere aut conseqvi rem aliquam, licet ex parte tantum teneatur, nec to-*
ra rei quantitas sit intra complexum ambientis, vel prout inclusio-
nem simul & complexum involvit, secundum qvem corpus quantum

ad 2.

adæqvatè continet intra se totum corpus aliud; ita eadem ratione in rebus immaterialibus comprehensio dupli modo intelligi potest, ut vel aliquando simplicem contactum notet ejus, quod desiderabatur anteā, quā ratione comprehensio quamvis denotat rei cognitionem aut apprehensionem, etiam illam, quā inadæqvatè rem attingit, & velut ex parte tenet; vel fruitionēm objecti undiqvaque perfectam & adæqvatam inferat, quo' senti illud etiam censebitur comprehendēti, quod ita intelligitur perfectē, ut nihil quicquam cogitari possit, quod intellectum cognoscēti fugiat, sed ut sit exacta inter intellectum, ejusque objectum comfēnsuratio, nec alterutrum excedat alterum. Ut ut igitur priori senti admitti possit Deum posse comprehendēti, cum & Viatores quodammodo cognoscant divinam essentiam secundum quādam attributa: posterior tamen vocis usuratio imprimis attendit, quando de comprehensione Dei quæstio mōvetur. Hujus autem generis cognitionē repugnare creato' intellectui rectē Thom. docet. l. c. art. 9. eo, quod totus quidem videatur & cognoscatur Deus à Comprehensore, sed non videatur totaliter ex parte cognoscēti, cum tantā perfectione vel potentia activā cognoscendi Deum, non gaudēat, quanta est cognoscibilis Dei. Nec enim modus cognoscēti adæqvat modum objecti cognoscibilis, quod uti essentiæ est infinitæ, ita etiam intelligendi rationē, si comprehendēti debear, requirit infinitam, qualem vero finitus intellectus in nullo statu, adjutus etiam supertiaturali lumine, assequitur. Illud interim à plerisque conceditur, visionem illam, cum intuitiva sit, & totam Dei essentiam attingat immediate, ad omnia, quā formaliter in Deo sunt, essentiam videlicet cum relationibus personalibus omnibus, licet inadæqvatē terminari. Quod prolixè contra Scotum, qui possibilem divinæ essentiæ Visionem non visā simul relatione personali tueri conatur, declarant Doctores Scholastici in 1. Thom. quæst. 12. art. 7. & in 2. 2. quæst. 2. art. 8. ad 3.

§. 6. Ea vero quā in Deo eminenter esse creduntur, atque adeò creature tām actualiter existentes, quām possibles, quas objectivē fibi divina repræsentat essentiā, num per visionem ejus claram & intuitivam distinctē simul & secundum rationes proprias videantur, disquiri inter Scholasticos solet. Complures eō abeunt, ut in virtute hujus Visionis videri etiam Creaturas omnes atque earundem accidentia per modum Speculi in divinā essentiā relucescentia, intrepide

de affirmant. Tuentur illud ex veteribus imprimis Ferrariensis lib. 3. contra Gent. cap. 56, 59. & Richardus in lib. 3. sentent. D. 14. art. 2. quest. 3. § 4. Ex recentioribus Job. Baptista Gonet in Clypeo, theol. Thomistica pag. 164. Sed impugnat hanc eorundem opinionem, nec immeritò Gabriel Vasquez, affertque argumenta haud proletaria, quibus contrarium sufficienter demonstrat. Conf. quæ satis in hanc rem prolixè differit Tom. 1. in 1. Thom. cap. 3. § 4. pag. 258. & seqq. atque inde petita exhibet B. D. Dorschus in Penitadeccade pag. 20. 21. 22. Nobis hæc pauca, quæ adduximus, academici exercitii loco sufficiant. Alias Scholasticorum lites, quas circa mensuram, ut vocant, visiouis, & præser-tim inæqualitatem ejus, utrum illa ex objecti, an vero potentiae diversa in diversis subjectis ratione descendat, movere solent, cum nullo idoneo nitantur fundamento, consultò prætermittimus. F. a. xit Deus

O. M. ut æternum ejus beatificâ visione fruamur.

Iēsū pōmō dōξa.

COROLLARIA.

- II. Ens in ordine ad immediate inferiora, itemq; substantia in ordine ad Deum & Creaturas, non rectè refertur ad communia &c. &c., nec ad analogia, sive illa extrinsecæ sive intrinsecæ attributionis esse dicantur, si in univocis, que & nomen habent commune & deos vñc & sicut secunda nomen prorsus eundem, multò commodius veriusq; accenserunt.
- III. Creatio rectè describitur per productionem rei ex nihilo, ita tamen, ut illa loquendi ratione non tantum materia præexistens omnis, sed & subiectum in Quo, & Principium formale, à quo oritur aliquid, exclus.
- IV. Non omne volitum satim est voluntarium.
- V. Datur cause morales, que non sunt agencia moralia;
- VI. Furiosus si invento alicubi gladio vulneraverit opium, non potest diecegisse occasione data.
- VII. Datut rei cognitio maxime certa, qua tamen non est evidens,

Ingenio studiisque vales: mens enthea nōsc.
Ætheræ gestit fata furura domus.
Inde DEUM sistens superata morte fidendum,
Quæ maneat Sanctos splendida dona, doces;
Insignes animi pergas ita pandere dores,
Nomine sic magnus, re quoque magnus eris.
*In honorem Per Egidium & Claram docti DN. Grotii, Dissert.
dissert. Fautorum mei & Amicorum estimissimi adscripsi
Disp. PRÆSES.*



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn73061302X/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73061302X/phys_0019)






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn73061302X/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73061302X/phys_0020)



adæqvatè continet intra se totum c
 rebus immaterialibus comprehensum
 ut vel aliquando simplicem contactum
 anteā, qvā ratione comprehensio c
 aut apprehensionem, etiam il
 git, & velut ex parte tenet; ve
 perfectam & adæqvatam inferat,
 comprehendere, qvod ita intelligitu
 tari possit, qvod intellectum cognoscere
 intellectum, ejusque objectum c
 cedat alterum. Ut ut igitur priori sen
 prehendi, cum & via fore qvoda
 tam secundum qvædam attributa:
 imprimis attenditur, qvando de com
 Hujus autem generis cognitionem
Thom. docet. l. c. art. 9. co., qvod totu
 Deus à Comprehensore, sed non
 scensis, cum tantā perfectione vel po
 non gaudet, qvanta est cognoscibilis
 noscensis adæqvat modum objecti co
 infinitæ, ita etiam intelligendi rati
 requirit infinitam, qvalem vero fin
 jutus etiam supernaturali lumine, a
 conceditur, visionem illam, cum
 tam attingat immediate, ad omnia,
 tam videlicet cum relationibus per
 tè terminari. Qvod prolixè contra
 essentia Visionem non visâ simul re
 declarant Doctores Scholastici *in 1. I*
quest. 2. art. 8. ad 3.

§. 6. Ea vero qvæ in Deo emiri
 creature tam actualiter existentes, qv
 divina repræsentat essentia, num pe
 ram distincte simul & secundum rati
 inter Scholasticos solet. Complures
 sionis videri etiam Creaturas omni
 per modum Speculi in divinâ e



luntur, atqve adeo
 qvas objective fibi
 s claram & intuitivam
 videantur, disqviri
 in virtute hujus Vi
 sionis accidentia
 essentia, intrepide

tā eādem ratione in
 do intelligi potest,
 qvod desiderabatur
 at rei cognitionem
 adæqvatè rem attin-
 objecti undiqvaque
 ad etiam censemebit
 nihil qvicquam cogi-
 sed ut sit exacta in-
 nec alterutrum ex-
 ist Deum posse com-
 plementum divinam essen-
 tia vocis usurpatio
 ei qvæstio movetur.
 ito intellectui restat
 tur & cognoscatur
 ter ex parte cognoscendi Deum.
 ec enim modus cog-
 qvod uti essentia est
 apprehendi debatur,
 in nullo statu, ad-
 interim à plerisque
 & totam Dei essen-
 tia in Deo sunt, essen-
 tia, licet inadæqvata
 i possibilem divinæ
 nali tueri conatur,
l. art. 7. S. in 2. 2.